

CANCELLE*
MARTIS B**
1718*





IX. B. 6. 192.


57.


~~Disputat.~~

XXVIII. 9. a









- I. Bodini de iure in hūmānā.
- II. Thomae de iure consuetudinū et observantia.
- III. Cocceij de eo quod iustum est in dubio s. de genuina praxi iuris.
- IV. Kroy. de iure summo injuria summa.
- V. Kestredae juris prudentia a noua in paucula capita redigenda.
- VI. Bomer de interpretatione facienda contra eum qui clare loquitur.
- VII. Bodini de obligatione forensi iuris diuini.
- VIII. Lange de eo quod obseruandum est circa interpretationem legis.
- IX. Joh. S. Kroy. de usu inutilium in iure.
- X. Kestredae iure humaniore Codicis.
- XI. Bomer de Observantia Ecclesiastica.
- XII. Sechenbergi Nomina legum iustarū ab iniustis discernenda.
- XIII. Lucaci de fine consulto sine Lege loquente.
- XIV. Bomer de scripturis non legitilibus non inlusulibus scriptis.
- XV. Ludewig iuris Romani et Germanici differentias.
- XVI. J. de emendanda Germania juris prudentia.
- XVII. J. iuris Romani et Germanici differentias occasione Interpretationis.
- XVIII. Leiser de assertionibus jurisconsultorum.
- XIX. Schroeter de Principiis rescriptis eorumque usu moderno.
- XX. Gualter de officio J. K. J. J.
- XXI. Engelbrecht de juris prudentia uasto ambitu et nomine J. K. J.
- XXII. Wildvogel de Casibus non dabilibus.
- XXIII. Schrag de Constitutionibus Principum.
- XXIV. Michner de Solo in fraudem legis.
- XXV. Lucaci de iure non scripto.
- XXVI. Kroy. de falsitate precum Principum oblatarum.
- XXVII. Cocceij de eo quod sit ipso iure.
- XXVIII. Sautersack specimen juris prudentiae obsole in casu de pactis et iuris dictione.

xxxix. Monachi nomen unius scripto contentio.
xl. Riter de iusticia an distributiva quam Comutatio
in partibus.
xli. Stenge de iure formulario Romanorum s. de Legiratio
nibus.

CVM DEO!

24

REPETITIO PARATITULARIS
DE
CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM,

Quam

PRAESIDE
DN. FRIDERICO SCHRAGIO,
J. U. D. & Profefs. Pandect. &
Jur. Can. ord.

In Alma Argentoratensium
Universitate

SOLENNITER defendendam
suscepit

ADAMUS ADOLPHUS

DE SCHENCK, &c.

d. Junij MDC LXXXVII.
hor. lq. solitis.

ARGENTORATI,
LITERIS GEORGII ANDREÆ DOLHOPFF.







REPETITIONIS PARATITULARIS
DE
CONSTITUTIONIBUS
PRINCIPUM.

THESIS I.



Constitutionis verbum ,
quatenus ad demonstrandas
juris species adhibetur , non
uno sensu apud auctores ju-
ris utriusque legitur. In Jure
Canonico primum Gratiano
Constitutio modo est omne
jus humanum. *arg. c. lex est*
ibi Constitutio scripta dist. 1.
junct. c. 1. dist. 8. & dist. 9. modo solum jus in scriptu-
ram redactum *c. consuetudo. 5. ibi: quae in scriptis reda-*
cta est, Constitutio sive jus vocatur. ead. ad differenti-
am

A

am

am consuetudinis, *dist. 8. pr. & c. 1.* scil. in scripturam non redactæ. *arg. d. c. 5.* modo solum jus a Principe Constitutum. *c. Constitutio 4.* ibi: *Constitutio est, quod tantum Rex vel Imperator constituit dist. 2.* Postea nomine isto plerunque denotari consueverunt Leges Ecclesiasticæ scriptæ, quarum pontifex Romanus auctor est. Quamvis sub titulo quoq; Decretalium *de Constit:* latius illud sumi, ut etiam ad statuta ab inferioribus pertineat, exemplo *c. 6. 8 & 9. eod.* non male docuisse videatur Henricus Zoësius *in Comment. ad eund. n. 1.* In Jure Civili quandoque generalissimè pro omni jure venit, sive illud expressa legislatione constitutum sit, ut in *L. 3. 4. 8. 11. & 15. de LL. l. 4 §. 3. ff. de tut. & rat. distrak. l. 2. C. de annal. except.* sive moribus receptum. *L. 32. ff. de LL.* Interdum significat generaliter quamcunque juris scripti speciem, ut in *l. 15. §. 13. ff. de injur.* quo in sensu etiam sententiæ Jctorum Constitutiones dicuntur. *L. 91. §. 3. ff. de V. O. l. 1. pr. ff. de priv. delict. conf. disp. Dn. Præsidis de Constit. personal. §. 2.* Plerunque vero & specialiter eam juris scripti speciem designat, quæ à Summo Principe constituta est. *t. t. ff. de Const. Princip. §. 6. Inst. de I. N. G. & C. & passim.* Est & specialissimus significatus, quo, eoque rariore, pro jure singulari sive eo, quod contra regulas juris communis propter aliquam utilitatem receptum est, dicitur in *l. 15. & 16. ff. de LL. l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. Conf. Cornel. Benincas. de Const. quest. 4. n. 40. & quest. 5. per tot. Enenckel. de privil. l. 1. c. 2. n. 3.* Specialis significatus hujus loci est.

THESIS II.

THE SIS II.

Solent autem Constitutiones summorum Principum variè appellari. Primo enim vocantur Statuta. §. 1. *Inst. de vi bon. rapt. l. 16. C. de excusat. tut. l. 2. in fin. C. si advers. Cred. præscript.* quo nomine Strauchius dissertationem suam de hoc argumento inscripsit. Secundo Constituta *l. 1. C. de metat. l. 5. vers. ea vero. C. de pagan* Tertio Principum placita. §. 3. *l. de l. N. G. & C.* Quarto scita principalis majestatis *L. 8. in fin. Cod. de repud. L. 3. C. de bonis qua lib.* Quinto regalis sensus & imperiale decretum. *L. fin. Cod. de ll. vocantur & sanctiones. §. si. Inst. de libert. & jussiones arg. L. 3. Cod. de LL.* item sententia imperialis in cognitionibus prolata. Infimo latinitatis ævo Capitula, ut sunt illa Caroli & sequentium aliquot Imperatorum, quæ Melchior Goldastus collegit. Germanis *Satzungen a setzen* / quod plane vim vocis romanæ *constituere* allequitur & exhaurit, quippe quod est firmiter statuere: est enim Constitutio jus à principe vi summi Imperii statutum, de qua descriptione paulò post. Tandem Constitutiones principum ob majestatem & reverentiam passim *sancta, divina, & sacratissima* appellantur, *Conf. §. 6. Inst. de interdict. §. 10. inst. de publ. jud. L. 3. ff. de Const. princ. l. 42. §. 8. L. 43. §. 1. & 2. L. 44. §. penult. & ult. Cod. de Episcop. & cler. item Oracula, consulta celestia. in L. 8. Cod. de officio Reët. provin. item statuta celestia in L. 10. Cod. de murileg. item divina indulgentia. in L. 3. ff. de const.* quibus vocabulis promiscue quandoque

utuntur Jurisconsulti, licet accuratè loquendo in nonnullis differant.

THESIS III.

Dixi antea constitutionem esse *jus à Summo Principe vi summi Imperii statutum*, si mavis, definiam brevius, *jus à principe statutum*, arg. L. 2. §. 12. ff. de orig. I. §. 6. I. de I. N. G. & C. l. 1. pr. & §. 1. h. t. Harpr. ad §. 6. Inst. de I. N. G. & C. n. 1. Benincas de Const. Quest. 4. n. 4. & 5. quas definitiones, ne quis imperfectionis arguat, quasi definito suo non correspondentes, nec præcipua ejus requisita seu conditiones continentes, paucis explanabo. Generis loco posui *jus*, secutus Imperatorem in §. 3. d. t. Nec enim de aliis placitis Principum sub termino *Constitutionum* locuti sunt Legumlatores nostri, quam de his, quæ animo juris emittuntur. Quod & subintellexit Imperator, cum in §. 6. d. t. Constitutiones Principum descripsit per ea, quæ Principibus placuerunt. Ut cavillatoria sit interpretatio eorum, qui ad descriptionem Sacratissimi Legislatoris, nescio quas, proferunt instantias: non attendentes, genus in §. 3. propositum, more Veteribus usitatissimo, sponte in §. 6. omissum esse: quod & in definitione juris naturalis *in pr. eod.* & alibi factum est. Posteaquam vero *jus* in præsentem significatu nihil aliud est, quam præceptum superioris inferioribus normam cum imperio & auctoritate præscribens, ultro intelligitur, omnia ea, quæ definitione ea continentur juris requisita essentialia,

lia, Constitutionibus etiam Principum, quatenus generi huic subsunt, tribui: secundum regulam Logicorum notissimam, definientem: quidquid de genere prædicatur essentialiter atque universaliter, & jam de singulis speciebus generi subjectis dici. Et simul apparet, huic titulo proprias non esse consultationes, quibus quæritur 1. *An Princeps ex plenitudine potestatis suæ jus tertio quasitum auferre possit?* 2. *An Contractus Principis sit Lex?* de quib⁹ breviter videri potest Eckolt. in *Comment. Pandect. §. 9. & 10. h. t.* si enim nulla juris specie jus tertio auferri poterit, nec Constitutione Principis id poterit fieri. Et si Contractus nullius summæ potestatis Lex est, nec Contractus Summi Principis erit. Eodemque loco habenda est quæstio: *An Constitutio principalis contra vel præter jus divinum & naturale ferri possit?* Cujus decisio & ipsa fluit ex decisione quæstionis generalioris, an jure humano seu civili juribus istis derogari possit? de qua Besold. & Dd. *ad l. 6. ff. de I. & I.* Differentiam exhibeo in persona Principis. In hac enim Constitutiones Principum à reliquis juris speciebus discernuntur ab ipso Imperatore. *in §. 4. & seqq. de I. N. G. & C.* quod, cum illæ respectivè à populo, plebe, senatu, prætoribus, Ictisve introducuntur, hæ in Principis placito consistant. Ex quo apparet, differentiam eam desumi à causa efficiente proxima. Nec forte aliud essentielle discrimen inter species juris ab Imperatore recensitas dari poterit. Quod enim alio modo Leges, alio Senatus Consulta &c. ferri consueverunt, ad essentialiam rei non pertinet.

THESIS IV.

Dividuntur Constitutiones Principum ab Imperatore in §. 6. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* aliter à modo constituendi, aliter à subjecto, cuius gratia feruntur, A modo constituendi in *Epistolas, Decreta & Edicta*. Quæ partitio vel imperfecta est, vel explicationem desiderat. Sunt enim Constitutiones principales in summa aliæ directæ, aliæ indirectæ. Directæ, quas Princeps fert, hoc ipsum agendo, ut jus constituat. Indirectæ, quas fert aliud agendo, quam ut jus commune faciat, quod tamen ob ejus dignitatem & auctoritatem legis vigorem habet, ita, ut, quod licet in singulari negotio statuit, tamen in aliis quoque casibus observare velle propter summam in omnes potestatem videatur. Directæ subdividuntur in eas, quæ motu proprio & alieno fiunt. Constitutiones motu proprio emissæ distinguui possunt in Edicta & Mandata. *Strauch. d. dissert. d. 8. & 20.*

THESIS V.

Edicta ab *edicendo* dicta sunt. *Edicere* autem est aliquid in genere absque complexu rerum & personarum prædicere. *Theophil. ad. §. 6. Inst. de I. N. G. & C.* Dicuntur autem injure nostro dupliciter, vel pro Edictis Prætorum vel pro Edictis Principalibus. *Edicta Prætorum* erant, quæ Prætores sive Magistratus Roma-

Romani publicè ex Albo proposuerunt. §. 7. l. eod. junct. l. 9. ff. de Jurisd. De quibus Dd. ad d. §. & ad t. de Off. Prætor. item ad l. 2. §. 10. de O. I. uberius videri possunt. *Edicta Principum* Theophilus ad d. §. 6. definit, πᾶν ὅπερ ἐξ οἰκείας φύσεως κινήσει ὁ βασιλεὺς πρὸς τὴν ὑπηκόων εὐταξίαν καὶ λυσιτέλειαν. h. e. eam Constitutionum principalium speciem, quam Princeps proprio motu, nec ad instantiam alterius publicæ privatæve personæ subditorum bono emittit. Quæ sunt Edicta XIII. Justiniani post Novellas corpori juris inserta, nec non aliorum Imperatorum, quæ memorantur in L. 8. ff. de Question. l. 13. ff. de jure fisci. l. 15. ff. ad L. cornel. de fals. rubr. C. de Edict. div. Hadr. toll. & infinita alia, quæ in Codice repetitæ prælectionis repetuntur. Dicuntur etiam *Leges Edictales*, ut in L. hac Edictali. C. de sec. nupt. & in Const. Frid. II. Imperat. de statut. & consuet. §. 1. & alibi.

THESIS VI.

Subdividuntur à Dno. Strauchio d. dissert. 8. & seqq. (1) in ea, quæ à Principibus aut proponuntur publicè aut voce præconis promulgantur. Illa scripta dicere possis. arg. §. 3. l. de I. N. G. & C. vocantur & Programmata in L. 3. C. de LL. & in Constitutione Athalarici Regis, tit. 41. apud Lindenbrog. Cod. LL. antiq. Hæc non male quis *Verbalia* vel *Oralia* appellaverit. Hodie *Proclamæ* dicuntur, ut sunt Maximiliani & Rudolphi II. Imp. Proclamæ de Monetis, Francofurdia, Argentina, Lipsia &c. in nundinis denuntiata & Recessibus Imperii inserta.

Cujusmodi Edictum orale fuit illud Cyri. 2. *paral. Cap. fin. v. 22.* & 1. *Esdra c. 1. v. 1.* (2.) in *temporaria & perpetua.* Quorum illis Principes fuerunt usi, si quid notum fieri vellent. Quale fuit illud Alexandri Severi, quo itinerum dies publicè proposuit: *illa die, illa hora ab urbe sum exiturus & si Dii voluerint, in prima mansione mansurus.* Lamprid. in *Alexandro.* quæque nudam prædictionem temporariorum seu intimationem actorum futurorum continebant. Hæc Jurisdictionis perpetuæ causa promulgabantur. Quale præter ea, quæ *θ. anteced.* nominavi, fuit Edictum D. Marci de eo, qui rem alienam à Fisco emit. *§. ult. Inst. de usucap.* quæ sæpe Sctis firmari solebant, quibus à Senatu impetrandis Principes orationes suasorias per Candidatos principis seu Quæstores (de quibus *L. un. §. 4. ff. de off: Quæstor.*) habere consueverunt. De quibus Orationibus extat elegans dissertatio, habita sub præsidio B. Bœcleri nostri.

THESIS VII.

MAndata aliàs *commonitoria* appellantur, *Nov. 21. c. 2.* & à Græcis *παρρηγήματα.* *N. 25. c. 4.* & *N. 27. c. 1.* *Nov. 31. c. 9.* item *ὑποθήκη.* *Nov. 26. c. 2.* & sunt Constitutiones, quibus certæ personæ, ut Præsides vel iudices, monentur, quid eos facere oporteat, seu, qua muneris aut jurisdictionis eorum forma continetur, ad Provinciæ administrationem, morum & disciplinæ curam. Strauch. *d. dissert θ 15.* Quæ speciem esse Constitutionum Principalium non infringunt

fringunt ea , quæ habet Dn. Swendendorfferus *ad Eckolt. §. 3. de Constit. Princip.* Quod enim præcepta sunt in speciali negotio observanda , nec iis, ad quos directa non sunt, sacram formam præscribunt. *arg. N. 113. c. 1. & N. 151. in præfat.* nihil impedit : cum objecti specialitas seu particularitas definitionem Constitutionis Principalis non destruat, nec ad substantiam ejus, qua talis , pertineat , ut per eam omnibus onus imponatur ; quod exemplo Constitutionum personalium & privilegiorum manifestum est. Mandatorum autem alia erant *secreta*, alia *non secreta*; quorum illa *occulta*, hæc propriè *commonitoria* dicuntur. Cujac *ad Nov. 17.* Strauch. *d. l.* ubi exempla.

THESIS VIII.

Constitutiones directæ motu alieno fiunt, quando Principes Magistratibus de jure dubio consulentibus respondent. Quæ uno nomine *rescripta* appellantur. Quamvis alii Rescripta Principum responsa eorum ad preces quarumcunque personarum, privatarum æquè ac publicarum, de quibuscunque negotiis cujuscunque formæ faciant. Quemadmodum Biccio *in Aur. præloq. §. 40.* Rescriptorum Principalium diversæ sunt species: Annotatio, Epistola & pragmatica Sanctio. Et *Annotatio* videtur esse subscriptio seu subnotatio Principis ad libellum , privatæ personæ de privato negotio. *Epistola* describitur rescriptum Principis ad Præsidis relationem de negotio dubio factam. *Pragmatica Sanctio* nuncupatur

B

tur

tur sacra Principis jussio, quæ de publico negotio ex concilii sententia ad alienas preces, non privati alicujus, sed universitatis: vel ad relationem separata à precibus emittitur. per *L. ult. C. de divers. Rescript.* Quæ doctrina ne quis confundatur, sciendum est, terminum *Rescriptorum* dici vel generalius pro quibuscunque Principum Responsis, sive ad hanc sive ad illam personam, sive de hoc, sive de illo negotio, sive hac sive ista forma, emittantur *t. t. C. de div. princip. rescript.* ut etiam *Epistolas* comprehendant, vel specialius pro eis, quæ ad publicas personas, rescribendo fiunt: quotiescunque Imperator Consultationi Præsidium vel judicum respondet, vel ad relationem vel ad appellationem. *Rescripta ad relationem* appellabantur etiam *Epistolæ* item sacra oracula §. *illud proprium.* *Inst. de Adopt. l. 5. C. si contra jus vel util. publ.* Affatus sacri *l. 5. C. de div. rescript.* Augusti *l. 14. C. de relig. & sumpt. fun. divini l. 23 §. 1. C. de nupt. principales. L. 6. in fin. C. de fruct. & lit. expens.* Relatio autem fiebat à judicibus, postq. partes allegationibus renunciarent ante sententiam, ambigente, quid statui oporteat, magistratu. *l. 9. C. de Judic. l. 11 §. 2. ff. de Minor. missa opinione sua, ut Nov. 15. c. 1. vel etiam post sententiam, appellatione interposita, nec recepta. l. pen. C. Theod. de Relat.* Postquam nihilominus appellandi jus supererat, si fortè Præsides Provinciæ, vel quis alius consuluerit, & ad Consultationem ejus fuerit responsum *l. 1. §. 1. ff. de Appell. lib. 8. Basil. t. 1. c. 2.* A quibus Consultationibus modo Imperator vocatur *Consultissimus*, ut *in l. fin. §. sin autem. 1. de testam. man. modo*

modo Lex *Consultissima*. ut l. 8. C. *qui test. fac. poss.*
Constitutio Consultissima. l. 9. C. *de repud.*

THESIS IX.

Rescriptorum horum species quædam erant re-
 scripta ad suggestionem. *Suggestio* enim nihil
 aliud erat, quam relatio minorum & majorum
 judicum ad Principem vel Præfectum Prætorio. l. 34.
C. de Appellat. quando scil. diversis legibus ex utraque
 parte prolatis, quæ pugnare videntur, Imperator
 consulitur l. 5. C. *de bon. quæ lib.* vel cum de novo ju-
 re, quod inveterato usu nondum stabilitum est, dubi-
 tatio emergit. l. 11. C. *de LL.* licet præter judices etiam
 quandoque Advocati per Suggestionem consultare
 consueverint *arg. l. 5. C. de V.S.* Quæ tamen consultati-
 ones & relationes à Justiniano sublatae sunt in *N. 113.*
§ 125. ubi sanxit, secundum leges generales singulas
 causas finiri debere: quod ex relationibus judicum ad
 Principem nimia dilationes & remora negotiis ad-
 ferrentur. *Strauch. d. diff. 8. 16. & 18.*

THESIS X.

Rescripta ad appellationem fiebant, cum à sen-
 tentia Consulibus, vel Præfecti urbi, annonæ, quan-
 doq; à Senatu, atque etiam à Proconsulibus, Præ-
 fecto Augustali, Comitibus & iis, qui vice Præfecto-
 rum cognoscebant, provocabatur. *Id. 8. 17.*

THESIS XI.

Subdistinctio Rescriptorum in *Annotationes & Pragmaticas sanctiones*, quæ in *l. fin. C. de div. rescr.* habetur, ad generalem Rescripti significatum pertinere videtur. Etiam si enim Pragmatica sanctio sub Rescriptis specialiter ita dictis contineatur & species subalterna Constitutionum directarum sit; de Annotatione tamen, quia, ut supra significatum est, ad preces personæ privatae & de negotio privato fieri videtur, consequenter Constitutionum indirectarum species subalterna est, id dici non potest. Hic vero de speciali Rescripti sensu atque de specie subalterna Constitutionum directarum sermo est.

THESIS XII.

Cæterum requisita Rescriptorum in genere sunt
 (1.) habilitas personæ impetrantis. Quemadmodum olim servilis conditio deferendæ precis capax non fuit. *l. 1. C. de precib. imper. off.* Et jure Canonico rescriptum ab Excommunicato impetratum non valet. *c. dilectus x. de rescript. c. 1. eod. in 6.* nisi in causa excommunicationis. *c. 41. x. eod.* Strauch. *§. 47.* (2.) forma consueta: debent enim preces & rescripta secundum formam jure præscriptam, stylum Curia & Consuetudinem esse adornata. *Id. §. 51. (3.)* Veritas precum: omnia enim sub ea conditione & clausula proferuntur, *si preces veritate nitantur.*
 Quæ

Quæ clausula omiſſa reſcriptum de jure civili vitiat. *L. ult. pr. C. de div. reſcript.* de jure autem Canonico ſubauditur, atque pro expreſſa habetur. *c. 2. x. de reſcript.* (4.) Harmonia cum jure & utilitate publica *l. ult. C. ſi contra jus vel util. publ. l. 3. C. de precib. imper. offer.* qua continetur etiam reſervatio juris tertii. conf. *Bicc. Aur. præloq. §. 40. in ſin. Locam quæſt. Juſtin. 10.* (5.) Annotatio temporis, quo reſcriptum *datum, ſcriptum, emiſſum &c. l. 4. C. de diverſ. reſcript.* de quibus & ſimilibus formulis vid. *Strauch. §. 42. & ſeq.* Non obſtantibus exemplis Reſcriptorum *ſine die & Conſule* Codici inferorum, quippe quæ corpore juris clauſa ſunt, & annotationem temporis habent ex Conſtitutionibus confirmatoriis Juſtiniani, qui ea ſua fecit. (6.) Subſcriptio manus principis, & quidem olim colore purpureo facta *l. 3. & 6. d. t. Dn. Præſes introd. ad Digèſta §. 6, h. t.*

THEſIS XIII.

Conſtitutiones indirectas non male quis diſtinxerit in judiciales & extrajudiciales. Per *Judiciales* intelligo, quas Princeps occasione cauſæ judicialiter controverſæ emittit, quæ ſpecies conſtitutionum nomine *Decretorum* venit. Sunt enim Decreta Principalia nihil aliud, quam conſtitutiones per ſententias à Principibus de cauſa controverſa cognoſcentibus latas emiſſæ. Quorum illuſtre eſt illud *D. Marci* contra *avrodixian* pronuntiatum, quod in *l. 13. ff. quod met. cauſ.* & in *l. pen. ff. ad l. jul. de vi priv.* repetitur.

THESIS XIV.

Decretorum horum quædam solenniter atque cum causæ cognitione, quædam minus solenniter, de simplici & plano interloquendo ferebantur. Sic enim Ulpianus in *l. 1. §. 1. ff. h. t.* quodcumque Imperator vel *cognoscens decrevit* vel *de plano interlocutus est*, &c. legem esse constat. Decreta prioris generis, *Decreta κατ'ἔξοχὴν* dicuntur, & bene describuntur Strauchio *θ. 25.* sententiæ principis, cum causæ cognitione de consilii sententia inter partes litigantes lata. *Interlocutionibus* vero cum effectum legis tribuat **J**ctus in *d. l. 1.* Imperatores contra in *l. 3. C. de LL. eas* in commune præjudicare nolint, non una est interpretum explicatio. Biccus in *Aur. praloq. §. 40.* Interlocutionem accipit sententiam Principis non definitivam, ejusque exemplum constituit in *l. 97. ff. de leg. 3.* ad quam etiam Dionysius Gothofredus in *not. ad d. l. 1.* lectorem remittit. Quibus accedit Brunne-
mann *ad d. l. 3.* rationem, cur interlocutiones ad alias causas extendendæ non sint, hanc esse scribens: *quia in interlocutionibus non est tam matura deliberatio necessaria, quam in definitiva.* Strauchius *θ. 45.* accipit legem. *l. h. t. de potestate principis*, legem vero *3. C. de LL.* de voluntate ejusdem, si scilicet faciendæ legis animo interlocutus Princeps non fuerit. Biccii interpretationem quidem juvat, quod alias interlocutiones sententias judicum non definitivas significant, ut sub *1. ff. d. re jud. & de interloc.* docetur. Sed de sententiis

tiis non definitivis in alterutra lege pugnante vix
 quæri potuit. In lege vero 97. ff. de leg. 3. descriptio
 potius decreti cognitionalis & quidem definitivi,
 quam interlocutionis, contineri videtur: postquam
 Imperator in causa *per appellationem* à Præside Pro-
 vinciæ ad ipsum devoluta atque *ad suggestionem* de-
 crevit, quæ autem de interrogatione Principis ibi ha-
 bentur, non rationem interrogationis simplicis, sed
 responsi atque sententiæ virtutem continent; ideoq;
 etiam à Paulo in libris *Decretorum* de casu isto tracta-
 tum est. Strauchii distinctioni illud addendum vi-
 detur, interlocutiones Principum, ut dicere cœpi, ni-
 hil aliud fuisse, quam sententias principum definitivas
 quidem, sed minus solennes, & quasi privatim, non
 pro tribunali, pronunciatas. Ut non mirum sit, quod
 Decretis quidem, tanquam publicè latis, indistinctè
 effectus legis adscribatur, interlocutionibus non ali-
 ter, quam si in similibus casibus eas observari voluit
 Imperator. (Cum enim *generalis* lex vocata est, vel
ad omnes iussa est *pertinere*, eam vim juris commu-
 nis obtinere, manifestum est. *d. l. 3. vers. sed etsi. C. de*
LL. & multo magis, cum in corpus juris relata est.
 Brunnemann. *d. l.*) siquidem Decreta interlocutio-
 nibus opponuntur non in eo, quod illa definitiva
 sint, hæc non sint; sed quod Decreta cum causæ co-
 gnitione, sive pro tribunali, fiant, interlocutiones ve-
 rò de plano contingant. Sic enim habent verba ini-
 tialia. *l. fin. C. de LL. si imperialis Majestas causam co-*
cgnitionaliter examinaverit, & partibus cominus consti-
tutis sententiam dixerit: omnes omnino iudices, qui
sub

sub nostro Imperio sunt, sciant, hanc esse legem non solum illi causa, pro qua producta est, sed & omnibus similibus. & paulò post: cum & veteris juris conditores Constitutiones, quæ ex Imperiali decreto processerunt, legis vim obtinere aperte dilucideque definiant. Quemadmodum alias quoque Decreta atque ea, quæ pro tribunali & cum causa cognitione fiunt, eis, quæ de plano & simplici expediuntur, opponi consueverunt. Atque ita Prætor, assistente Jcto, interlocutus esse refertur in l. 9. §. 3. ff. quod met. caus. Conf. Frantzc. ad t. ff. de Const. princ. n. 33. Dn. Svend. ad Eckolt. §. 3. eod.

THESIS XV.

CUM Decretis Principum analogiam quandam habent *sententia curiarum supremarum* absque provocatione à Majestate constitutarum, quæ vulgo *præjudicia* appellantur. Quibus non indistinctè auctoritatem juris attribuendam esse, cum sæpe tribunalia summa mutatis temporibus sententias & vota mutant, nec Princeps hoc eis commiserit, ut legem facerent, sed ut juxta leges judicarent, sed tum demum, cum jus controversum decidat Tribunal, non quando contra jura pronunciat, ut rectè judicat Brunem. ad d. l. 3. n. 6. & seqq. (tunc enim spectandum est, non tam quid Romæ factum sit, quam quid ibidem fieri debuerit. l. 12. ff. de off. Præsid. N. 134. c. 1.) ita de auctoritate præjudiciorum talium quasi legali subsidiaria illustres textus sunt in §. ult. I. de satisd. l. un. §. 1. ff. de off. præfect. prætor. l. 1. §. 10, G. de V. l. E. L. 32. pr. ff.

*pr. ff. de LL. R. I. de Anno 1570. §. alsdann & §. da
auch.* Sicut enim Princeps, cum ipse cognovit de
causa, & sententiam pronunciavit, præsumitur in si-
milibus casibus simile jus velle, ita similiter creditur
voluisse, quod voluit is, quem sine appellatione judi-
cem constituit *arg. d. l. un. §. 1. de off. præf. præf. Dn.
Præses. d. Introd. ad Digesta. §. 10. h. t.*

THESIS XVI.

E*Pistole* vox interdum æque latè atque Rescripti
terminus patet, imò latius, ut eam quoque signifi-
cet, quæ neque ad relationem Magistratum, neq;
ad preces & desideria supplicantium datur, sed prin-
cipis mentem duntaxat aperit. *Strauch: d. disp. 8. 21.*
Hic vero specialiter accipitur pro ea constitutionis
specie, quæ ad privatorum consultationem precesq; e-
missa est. Privatis enim ad principem non dabatur
aditus, nisi per libellos, in primis à temporibus Tibe-
rii. *Tacit. l. 4. Annal.* Qui libelli, si quæstionem juris
continebant, secundum Consilium Jctorum Impera-
tor respondebat. *arg. l. 4. C. de contrah. stipulat. l. 17. ff.
de Quæst.* Quibus Libellis Princeps aut subscribebat,
aut signabat eos, aut subnotabat. Subscribebat, proprii
Chirographi annotatione. *arg. l. singulos. 30. ff. qui te-
stam. fac. poss.* signabat, annulo; subnotabat, scriptura
brevium verborum. *Guther. de offic. dom. Aug. lib. 1.
c. 35. Strauch. d. disp. 8. 24.*

C

THE-



THESIS XVII.

Sic fuit divisio Constitutionum Principalium à modo constituendi. A subjecto, cujus gratia feruntur, Constitutiones sunt vel generales vel non generales. *Generales* sunt, quas Princeps omnium civium gratia tulit. *d. §. 6. in fin. ibi: omnes procul dubio tenent. Inst. de I. N. G. & C. Non generales, contra.*

THESIS XVIII.

Non generales distinguo in privilegia & constitutiones personales: quarum specierum nec altera cum altera, neutra verò cum jure singulari confundenda est. *Privilegium* enim est jus certi personarum generis gratia constitutum, veluti Doctorum, studiosorum, clericorum, militum, mulietum, pauperum, &c. *Constitutio personalis* vero est jus unius tantum Civis causa constitutum. *d. §. 6. vers. plane. ibi: qua nec ad exemplum trahuntur. & ibi: personam non transgreditur. d. t. Dn. Præses Introd. ad Inst. §. 70. & seqq. d. t. & de Constit. personal. per tot. ius singulare non à subjecto, cujus gratia fertur, sed à principio efficiente, ita dicitur, quod scil. utilitatis publicæ causa contra regulas juris communis introductum est. l. 14. & seqq. ff. de LL. Dn. Præses d. l.*

THESIS XIX.

Constitutiones personales à causâ impulsiva & finali distinguuntur in meritorias, punitorias & gra-

gratiales. *Meritorias* dico, quibus Princeps certæ cuidam personæ de Republ. benè meritæ beneficium concedit, nec vult idem ad similes extendi. *d. §. 6. ibi: quod alicui ob meritum indulgit.*

THESIS XX.

P*unitoria* sunt, quibus Princeps certæ cuidam personæ ex pluribus, ejusdem criminis reis, pœnam irrogat, qua non afficit reliquas. *d. §. 6. ibi: vel si quam pœnam irrogavit.* Qualis Lex personalis fuit, quæ auctore & rogatore Clodio, de Cicerone per aquæ & ignis interdictionem civitate excludendo, lata erat, quam ille propterea, in oratione *pro domo sua*, nefarium privilegium appellat. *d. Introd. ad Instit. §. 76. & seqq.*

THESIS XXI.

G*ratiales* describo, quibus uni ex pluribus ejusdem criminis reis gratiam facit Princeps. *d. §. 6. ibi: si cui sine exemplo subvenit.* add. *d. diss. de const. personal. §. 19. & seqq.* Quo pertinent *Dispensationes & Decumatio s. sortitio* in criminalibus. *d. Introd. §. 79.*

THESIS XXII.

C*Ausa Efficiens Constitutionum Principalium* est Princeps. Alias *Monarcha*, in Rebus publicis aliis nomine *Regis*, aliis *Ducis*, aliis *Principis* in specie,

specie, aliisque nominibus, insignitus. In Imperio Romano *Imperatoris Augusti*, titulis decoratus. Huic enim *Lege Regia* potestas Legislatoria tributa est, *l. pr. ff. h. t. l. 1. §. 7. C. de V. I. E. l. 3. C. de Testam. l. 14. §. fin. ff. de Manumiss. l. 2. §. II. ff. de O. I. §. 6. Inst. de I. N. G. & C. Add. Dio Cass. Lib. 51. & 53. Tacit. 1. A. 1. & 2. Hist. 38. Seneca 5. de Benef. 16. & 2. 20. Strabo in fin. oper. Geograph. Quibus auctoritatibus facile occurri potest Scockii libello *de quadruplici lege regia*, ubi sophisticè veritatem assertionis hujus evertere conatus est. Hodie in Imperio Romano Germanico Constitutiones Universales ab imperatore non nisi consensu Statuum Imperii feruntur. Particulares vero singuli Status, in suo quisque territorio, condunt. Strauch. *d. dissert. de statut. à summo Princ. §. 6.* Unde vero potestas activa regendi Principibus competat? accurate disquisivit Idem *§. 3. & seqq.**

THESIS XXIII.

Personæ, quarum Gratia Constitutiones Principales feruntur, non sunt unius modi. Quædam enim Constitutiones omnium civium causa emittuntur, quædam certi personarum generis, quædam unius tantum individui, ut supra in explicatione divisionis ratione subjecti significatum est. Atque ita aliarum personarum causa Constitutiones generales, aliarum causa privilegia, aliarum causa Constitutiones personales feruntur. Personæ, quarum causa Constitutiones generales feruntur, sunt omnes Cives. Hic enim

enim sensus est verborum finalium in *d. §. 6. I. de I. N. G. & C. omnes procul dubio tenent*. Non, quod constitutiones personales cives reliquos non obligent, sed quod non omnium causa ferantur. Nec enim generales personalibus ratione subjecti obligationis, sed favoris odive opponi, descriptio Constitutionum personalium, alterius membri oppositi, non obscurum esse finit. Neque rem acu tetigit Franciscus Balduinus, ad verba *omnes tenent* sic commentatus: *quicumq; videlicet sunt subjecti ditioni & imperio hujus principis: alios enim tenere non possunt, nisi quatenus in hujus Principis territorio, contrahendo vel delinquendo, prorogarent ejus potestatem sive Iurisdictionem*. Quamvis enim Constitutiones generales utique peregrinos non obligent, in eo tamen Constitutionibus non generalibus ab Imperatore non opponuntur, cum nec privilegia, nec personales, peregrinos obligent. Rectius Frantzkius in *comment. ad t. ff. de Const. Princip. n. 35. privilegium*, inquit, *dicitur, non quod uni persona obligationem imponat, non minus enim, quam generalis constitutio omnes ad sui observantiam astringit; sed ita, quod certa persona vel rei speciale seu privum jus concedat*. Ut ita tenendi verbum ibi compositi *attinendi* vel *pertinendi* significatum habeat, atque *concernendi* verbo æquipolleat. Personæ, quarum causa privilegia feruntur, sunt certum illud hominum genus, ad quos communis privilegii ratio pertinet. Quemadmodum privilegia favore paupertatis concessa ad omnes pauperes pertinent, privilegia favore lexis feminini concessa omnibus feminis profunt &c. Personæ denique, quarum causa



Constitutiones personales feruntur, sunt certa tantum illa individua, ad quæ principes Constitutiones eas restringunt, licet ratio constitutionum ad plures spectare videatur. Constitutiones enim personales sunt, quæ nec ad exemplum trahuntur, quoniam non hoc Princeps vult. d. §. 6. Ut amplius ostendit Dn. Præses in d. disp. de Constit. personal.

THESIS XXIV.

Personæ, quæ obligantur Constitutionibus Principum, sunt illæ ipsæ, quæ jure in genere constringuntur, scil. inferiores, quorum est obsequi. De eo tamen communiter hic quæritur, *an obligent ipsum Principem?* Ad quod respondeo cum Dn. Struvio. S.I.C. Ex. 2. §. 8. & 9. inter obligationem directam & indirectam.

THESIS XXV.

Materia Constitutionum Principalium eadem est, quæ juris in genere, puta honesta, vel saltem indifferens, non impossibilis. arg. l. 185. ff. de R. I. c. nemo potest. de R. I. in 6. Cui doctrinæ ut non refragantur præcepta Decalogi, secundum explanationem Dn. Præsidis in *Introd. ad Digesta. §. 35. de just. & jur.* ita duæ de ea illustres sunt quæstiones. (1.) *an princeps constitutione sua jus tertio quesitum auferre possit?* Ad quam resp. disting. inter iussionem rationabilem & irrationabilem, cum causa & sine causa;

sa: potest enim Princeps ex causa rem sacram vel religiosam profanam facere. *l. 83. §. 5. ff. de V. O. §. 8. 1. de I. N. G. & C. conf. Dn. Swend. ad Eck. §. 10. h. t. (2.) an Constitutio permissiva mali excusari queat? De qua accuratè disseruit Strauchius §. 32. Mihi cum inter permissionem strictè ita dictam & tolerantiam, tum inter species mali distinguendum videtur. *Permissionem* strictè ita dictam voco, qua permittuntur ea, quæ approbamus, vel certè non improbamus: Quod contingit totiens, quotiens Legislator actus alias indifferentes non prohibet. Quæ permissio etiam inter Legis virtutes refertur in *L. Legis virtus. 7. ff. de LL. Tolerantiam* appello, qua permittuntur ea, quæ improbamus. Quo sensu Pontifici Romano Judæi pro magno debent habere, quod in veteribus Synagogis & suis observantiis tolerantur. Constitutionem, quæ malum cujuscunque generis permissione strictè ita dicta permittit, non defendo. Constitutionem, quæ malum juri divino & naturæ non absolutè repugnans tolerat, excuso. Cujusmodi olim fuit in Republ. Hebræorum divortium à Mose propter *συληροκαρδιαν* populi Judaici toleratum. Alia vero lupanariorum causa est. Quibus nec conclusio Ulpiani in *L. Ancillarum. 27. §. 1. ff. de hered. pet.* nec ratiocinatio ejusdem in *L. 4. §. 3. de Cond. ob turp. caus.* patrocinator. Quemadmodum enim in priori textu pensiones ex lupanario perceptæ non lucro turpis possessoris cedunt, sed heredi vindicanti hereditatem restituendæ sunt, ut aliæ pensiones, quæ ex locationibus prædiorum Urbanorum perceptæ sunt: non alia ex causa, quam quod heredi*

heredi vero ab eo, qui pro herede vel pro possessore hereditatem possidet, omne lucrum restituendum sit, quippe quod post Senatus Consultum tam bonæ fidei possessori, quam prædoni, auferendum est. *l. 28. eod.* ex generali regula, qua possessores accessiones sine causa atque onere suo perceptas petitoribus jure fortiori nitentibus restituere tenentur. Non obstante, quod ex turpi causa proveniant, cum & in honestorum virorum prædiis, citra ipsorum culpam, lupanaria aliaque delicta exerceri possint. *d. l. 27. §. 1. junct. l. 1. C. de fals. monet.* Ita in textu posteriori meretrix turpiter accipere, cum sit meretrix, non negatur *ἡ ἀλλόθειαν* atque ex pura Imperatoris Justiniani Compilatorumve sententia, sed *ἡ ἀνθρώπων* tantum atq; hypothericè. Prout alias quoque nec semel demonstrationi thesium suarum hypotheses ejusmodi fictas intulerunt. Argumento *§. 25. I. de R. D.* quo inter casus specificationis refertur etiam is, quo quis ex spicis alienis frumentum fecit, cum tamen ex sententia Caji, quæ refertur in *l. 7. §. 7. ff. de A. R. D. Is, qui excussit spicas, non novam speciem faciat, sed eam, quæ est, detegat.* Et *§. 46. quo interdum & in incertam personam collata voluntas domini transfert rei proprietatem,* exemplo Consulium, cum missilia jactant in vulgus. Atqui sparsione missilium his interdictum est. *t. t. C. de Consul. & non sparg. ab his missil.*

THESIS XXVI.

Formam Constitutionis Principalis generalem Strauchius *§. 33.* bene in ipsa Principis jussione quæ-

quæſivit. Est enim Constitutio juris species, omne autem jus jussus superioris est. Nec interest secundum, præter, an contra rationem sit, dummodo non contra omnem. Nam & jus singulare contra rationem est. *l. 14. & seqq. ff. de LL.* Et sæpè usus & mores, licet contra rationem sint, admittuntur arg. *2. F. 1. junct. c. filii nati. 2. Feud. 26.* Nec requiritur, ut scriptura perficiatur constitutio; ubi tamen placet eam per scripturam fieri, scriptura de forma Constitutionis principalis est: quemadmodum de forma est juris cujuscunque, quod non aliter, quam per scripturam obligare placet Legislatori. Jussio autem intelligitur externa: Quia soli interno Legislatoris humani placito vigorem legis tribuere absurdum atque omni rationi contrarium esset. Explicatur autem ista jussio externa per promulgationem: *l. 9. C. h. t.* quippe quæ nihil est aliud, quam actus, quo placita interna manifestantur & subditis nota fiunt. Quem in finem ut in Constitutionibus generalibus naturaliter aliquis temporis tractus & intervallum inter diem promulgationis atque obligationis requiritur, quo voluntas Legislatoris ad subditorum scientiam verisimiliter pervenire possit, ita prudenter Justiniano placuit, ne ante duos menses ab insinuatione Constitutiones suæ obligarent. *N. 66.* quod usus fere recepit. Excipiuntur Constitutiones Pontificis in *c. cum singula. 32. de præbend. in 6. & c. 1. de concess. præbend. in 6.* Forma specialis & propria alia est constitutionis per scripturam, alia per præconem, alia per Edictum, alia per Rescriptum Epistolamve, alia per Decretum, &c. emissæ,
D quæ

quæ ex definitionibus singularum specierum facile colligi potest. Cæterum acceptatio subditorum ad substantiam & perfectionem Constitutionis principalis non pertinet, sed tantum consequens quoddam eius necessarium est, quippe ad quos lege lata obsequii gloria spectat, non consultatio vel arbitrium de acceptando. Cum omnes leges propriâ constituentis auctoritate & Imperio censeantur. Non obloquente Juliano in *l. 32 ff. de LL.* Quod enim ibi dicitur, leges nulla alia ex causa nos tenere, quam *quod iudicio populi receptæ sunt*, non sine manifesta calumnia eotraheretur, ac si singulis Civibus de honestate vel utilitate legum a summa potestate latorum iudicandi facultas superesset, Sed de populo collective sumpto, superiorem non recognoscente supremoque Imperio gaudente, ibi sermo est, eique adstruitur promiscua per suffragia & res ipsas seu facta voluntatem suam declarandi potestas.

THESIS XXVII.

Efectus Constitutionum Principalium plerique iisdem cum jure reliquo communes sunt, nonnullos quædam earum species proprios habent. Communes sunt (1.) *obligatio subditorum*: omnes enim obligant & ad scientiam *l. 9. C. de LL. conf. tt. ff. de I. & F. I.* (Limitatio est in privilegiis. *arg. l. 5. ff. de probat.*) & ad obedientiam. *l. 2. & 3. C. de LL.* Et ad hanc quidem etiam in conscientia, quæ transgressorem arguit reum læsæ potestatis eius, cui parendum esse

esse sine exceptione humana, DEUS sanctissime constituit. (2.) *Infirmatio contrarii*, si scilicet constitutio fuit præceptiva vel ordinans: quæ enim contra jura fiunt, sunt inutilia & ipso jure nulla *l. 5. C. de LL. c. qua contra de R. I. in 6.* quod quomodo intelligendum sit, non male docuit Dn. Swend. *ad Eckolt. §. 18. de LL.* sub distinctione, utrum actus contra legem sit ratione formæ & materiæ, an ratione subjecti: illo enim casu actum pro nullo habendum esse, hoc contra. *arg. l. 112. §. 3. 4. de legat. 1. l. 26. l. 123. de V. O. l. 5. C. de cond. ob turp. caus.* Mihi præterea distinguendum videtur, utrum Constitutio actum absolute improbet, an conditionate. Ecce enim testamentum inofficiosum, ecce actus metu dolove contracti jure civile improbantur, nullum tamen ex negotiis istis ipso jure infirmum est, sed illud quidem ad querelam inofficiosi, hæc vero ad implorationem restitutionis in integrum, officio judicis rescinduntur. Intercessio mulierum contra S^Ctum Vellejanum, pecuniæ mutuæ sumptio contra Macedonianum, S^Ctis prohibita sunt, non tamen illico nullæ censentur. Non alia ex ratione, quam quod juribus non absolute improbantur. Quo etiam inclinatur Strauch: § 41. *Infirmatio autem ista eo usque se extendit, ut actus Constitutioni contrarius, ne quidem juramento, confirmari possit. d. l. 5. C. de LL.* (Frustra dissentiente jure Canonico in *c. cum contingat. 28. x. de jure i. e. quamvis. 2. x. de pact. in 6.* melius enim Ecclesia seculi quinti sextique, quibus *d. l. 5.* lata confirmataque est, sensisse videtur.) Imo, ut non solum actus prohibitus ipse nullus sit, sed etiam consequentia ejus *arg. l.*

ex his 54. ff. de cond. ind. (3.) Consecutio pœna, si scilicet
 Constitutio sit prohibitoria actuum illicitorum. conf.
 l. 7. ff. de LL. §. ult. I. de his qui sui vel al. jur. Quibus
 effectibus addi potest interpretatio authentica & abro-
 gatio anteriorum. arg. l. 28. ff. de LL. l. fin. C. eod. l. 3. ff.
 de Const. Princip. §. pen. I. de I. N. G. & C. l. 32. ff. de
 LL. Quas vero Strauchius §. 34. & seqq. inter effe-
 ctus Constitutionum etiam tractat quæstiones: An Ad-
 vena teneantur legibus territorii? An clerici tenean-
 tur Constitutione Principis? An item Princeps suis legibus
 teneatur? Potius ad subjectum passivum, quam ad
 effectus spectant. De Constitutione vero permissiva
 idem non ineleganter tractat, §. 39. quomodo obliget?
 Cum inter legis virtutes referatur, *permittere*. l. 7. ff. de
 LL. Lex autem dicatur præceptum l. 1. eod. quæ vide-
 antur ἀρβωτά, & respondet, *permissionem obligare,*
non quatenus jus dat, ad aliquid omnino licite agendum,
sed quatenus impunitatem adversus impedituros. Obli-
gare itaque non agentem, sed patientem, præcipere, non
respectu agentis, sed ejus, qui resistere aut impedire agen-
tem aliàs potuisset. An denique Constitutio operetur
 in præteritum? Respondet idem: *Constitutio est nor-*
ma futurorum negotiorum, non verò presentium aut præ-
teritorum. per l. 3. ibi: *in posterum* C. de LL.
 l. 29. ibi: *quæ in posterum* C. de testam. l. 18. in
 fin. C. de SS. Eccl. nisi quando *lex nova jus vetus inter-*
pretetur, quia non inducit jus novum, sed quid jam o-
lim juris fuerit, declarat. Quæ etiam est sententia
 Eckoltii §. 15. de LL. Quod si pendente lite constitu-
 tio prodeat nova, secundum antiquam nihilominus
 judicabitur. l. 7. C. de LL. N. 32. c. 13. & N. 113. c. 1. Sed
 quid

quid si nominatim & de præterito tempore, & ad huc pendentibus negotiis, cautum sit? Constitutiones ad facta præterita revocari, Imperatores in *d. l. 7.* edixerunt. Atque exempla Constitutionum clausula tali extensiva gaudentium exstant cum in *l. 17. §. 4.* tum in *l. 21. l. 23 §. 2. C. de SS. Eccles.* Quemadmodum autem hic absque affectu omni prætereo, quæ vel Interpretes ad *dd. LL.* vel Conradus Rittersh. *diff. 1. C. & C. aliq.* de occasione istius legislationis referunt censentque, ita æquitas non admittit, Constitutione vel statuto juri subditorum jam quæsito quidquam derogari, sed in casibus tantum indifferentibus & à læsione tertii immunibus obtinebunt ejusmodi Clausulæ jurium novorum extensivæ. De effectibus nonnullarum Constitutionum propriis quibusdam vid. Strauch. *l. 42. & seqq.*

THESIS XXVIII.

CUM Constitutionibus Principum cognationem quandam habent, species tamen earum non sunt, *Contractus Principum.* Hi enim non eo fine celebrantur, ut subditis normam exhibeant, sed utilitatis peculiaris causa, atq; ut ipsos tantum contrahentes vinciant, non alios: actus autem contrahentium paciscentiumq; ultra intentionē eorum, qui eos celebrant, non operantur. *arg. l. 19. ff. de R. C.* Quod verò in *l. pen. C. dedon. int. vir. & ux.* Contractus Imperiales *legis vicem obtinere* dicuntur, comparisonem tantum formæ externæ & indigentia, non effectus, habet. *d. l. pen. in fin.*



in fin. ibi: minimeque opitulatione quadam extrinsecus egentibus. Quod scilicet illico valeant & plenissimam habeant firmitatem, licet nulla solennitas externa confirmatoria accesserit. Cum, quemadmodum leges à sola Principis voluntate robor auctoritatemque suam habent, ita & contractus principales à mera voluntate Principum dependeant. Sic enim de Donationibus Principum in genere constitutum est: Imperiales donationes merito indignari sub observatione monumentorum fieri, sed firmam habere propriam majestatem. l. sancimus. 34. pr. C. de donation. conf. l. 19. C. de SS. Eccl. Et amplius ab Imperatore in N. 52. c. 2. sancitum: ut sicut ab Imperio in alios factæ donationes non egent gestis monumentorum, sed ex hoc ipso habent virtutem, ita neque à privatis Imperatoribus factæ egebunt gestis monumentorum, cujuscunque quantitatis sint. Conf. Eckolt. §. 9 h. t. De Præjudiciis Supremarum Curiarum, quæ & ipsa Constitutionibus nostris cognata sunt, supra actum est. θ.

THESIS XXIX.

AD contraria Constitutionum Principalium refero (1.) inhabilitatem personæ impetrantis, si fortè servus preces Imperatori pro rescripto obtulerit. l. 1. C. de prec. Imp off. (2.) litispendentiam: obstat enim rescripto exceptio, quod lite pendente impetratum sit. N. 113. c. 1. t. t. C. ut lit. pend. junct. c. ul. x. eod. (3.) Rem judicatam, non enim valet rescriptum post rem judicatam impetratum. l. 3. pr. C. de error. Advoc.

Advoc. l. 2. §. qui autem & l. 3. C. ut lite l. ult. C. quomodo & quand. jud. l. 3. C. sent. resc. (4.) obreptionem l. fin. C. de divers. rescript. (5.) Contrarietatem juris & utilitatis publicæ. l. fin. & t. t. C. si contra jus. l. 3. l. 7. C. de prec. Imp. off. (6.) defectum formæ consuetæ, puta, quod preces vel rescripta secundum formam jure præscriptam vel stylum Curia, & consuetudinem non fuerint adornata (7.) lapsum temporis annalis: potest enim rescriptis, quæ jure civili perpetua sunt. l. 2. C. de divers. rescript. de jure Canonico opponi exceptio annalis, c. plerumque 23. x. h. t. scilicet impetrans intra annum iis uti per malitiam vel negligentiam distulerit, dummodo tamen alter contrarias literas obtinuerit postea. d. cap. & citati Strauchio d. diff. θ. 52. Et hæc contraria constitutionibus earumve speciebus ferè propria sunt. Communibus earundem accenseo (1.) injustitiam. Quamvis enim justitia affirmative ita dicta ad substantiam juris non requiratur, injustitia tamen eidem ideo contraria est, quia justitiam negativè ita dictam tollit. Nec enim cum jure diabolico, cui mera voluntas pro ratione est, mihi quidquam commercii intercedit. (2.) Mutationem. Quod de mutatione juris in abstracto & thesi ita dicti intelligo. Quippe jus naturale immutabile est. §. pen. Inst. de I. N. G. & C. add. LL. cit. C. 1. A. θ. 13. de I. & I. Cui tamen salva substantia sua atque sine mutatione aliquid addi vel detrahi potest, determinando scilicet illud ad subjecta & objecta convenientia, puta, in hac vel illa civitate, quam determinationem verbis addendi & detrahendi. Jctus. in l. 6. ff. de just. & jur. explicat. Jus vero

vero civile mutari potest. Nam licet quoad intentionem legislatoris perpetuum sit. *l. 6. pr. C. d. secund. nupt. Auth. habita. C. ne fil. propatr.* nec facile mutetur. *l. 2. b. t. N. 28. pr. prafat. Add. Ludwell. Ex. I. II. b.* propter evidentem tamen utilitatem mutatur. *c. non debet. x. de consang. & Affin. l. 7. de integr. rest. N. 3. pr. prafat.* etiamsi clausula perpetuæ legis sit adjecta. *arg. l. 51. ff. de recept. arbitr. l. 13. §. 4. ad Sc. Trebell.* Actualis tamen juris civilis mutatio non præsumitur, sed probanda est. *arg. l. 28. ff. de LL. l. 27. C. de testam. l. 32. §. ult. C. de Appellat. N. 20. c. 9. N. 82. C. II. in fin.* Unde vulgatissimum illud, *juris correctionem seu mutationem strictissime esse accipiendam.* C. I. A. θ. 31. *de LL.* atque in specie, si lex prior permissiva fuerit, permissum intelligi, quod lege nova non prohibetur. *arg. l. 5. l. 7. C. de Religios. l. 4. C. de jur. dot. l. 25. ad Municipal. l. 1. de manumiss. C. I. A. d. l. Dn. Præses Introd. ad Digest. §. 44. de I. & I.* Unde & Edicta Prætorum prohibitoria strictæ interpretationis esse, quæque expresse non prohibent, permissioni juris anterioris reliquisse censentur. Est enim Edictum prohibitorium nihil aliud, quam quod recenset casus specialiter prohibitos atque exceptos à regula permissorum. *arg. l. 43. §. 1. ff. de Procurat. l. 1. §. 1. ff. de testib.*

THESIS XXX.

Constitutionibus Principum, ut aliis quoque juris speciebus, inservit interpretatio. Scire enim Leges, non est verba earum tenere, sed vim ac pote-

potestatem. l. 17. ff. de LL. Et verbum ex legibus sic accipiendum est: tam ex legum sententia, quam ex verbis. l. 6. §. 1. ff. de V. S. l. 3. C. de Adulter. l. 7. §. 2. de jurisd. Donell. 1. Comment. 13. Sponte ergo intelligitur, notitiam placitorum principalium sine interpretatione haberi non posse. Cum vero interpretatio alia *Authentica* sit, alia *Vsualis*, alia *Doctrinalis* vel *Doctoralis*, quarum prima est solius legislatoris, secunda consuetudinis, tertia Magistratum & Iuristarum; Hic quoque facile infertur, interpretationem authenticam Constitutionum Principalium soli Principi, qui legem tulit, vel ejus successori, reservatam esse. Et hoc est, quod in l. fin. C. de LL. *ad verum* atque majesticè effertur. *Omni Imperatorum Legum interpretationem sive in precibus, sive in judiciis, sive alio quocunque modo factam, ratam & indubitatam haberi: si enim leges condere soli imperatori concessum est, & leges interpretari solo dignum imperio esse oportet. Quod sicut de constitutionibus obscuris, ambiguis, & casuum perplexorum præcipuè accipiendum esse, sequentia verba satis declarant: Cur autem ex suggestionibus procerum si dubitatio in litibus oriatur, & sese non esse idoneos vel sufficientes ad decisionem litis illi existiment, ad nos decurratur? & quare omnes ambiguitates judicum, quas ex legibus oriri evenit, aures accipiunt nostræ, si non à nobis interpretatio mera procedit? vel quis legum ænigmata solvere & omnibus aperire idoneus esse videbitur, nisi is, cui soli legislatorem esse concessum est. & juvat l. 1. ibi: Inter aquitatem jusque interpositam interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere.*


E


C. eod.





C. ead. Item l. 9. ibi : si quid verò in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id ab imperatoria interpretatione patefieri, duritiâq; legum nostra humanitati incongruam emendari. Ita ea, quæ in d. l. fin. sequuntur: tam conditorem, quam interpretem legum solum imperatorem juste existimari: nec usuali, nec doctrinali, interpretationi quidquam derogant. Nam & optima legum interpres est consuetudo. l. 37. ff. de LL. Cum ea, quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita Civium conventio, non minus, quam ea, quæ scripta sunt, jura servantur. l. 35. eod. Imo in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiuntur, consuetudo aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritas vim legis obtinere debeat. l. 38. eod. Et ipse Legislator non tantum dicta Constitutione sua nihil veteris juris conditoribus derogatum voluit: addita ratione, quia & eis hæc Majestas Imperialis permisit; sed & eos, qui in Magistratu sunt, controversias ambiguitatesque legibus suis non expressè definitas decidere conveniens esse judicavit. Const. dedit. §. 18. satis gnarus, quod constare non possit jus, nisi sint, qui jura regere possint, & per quos quotidie in melius producantur, arg. l. 2. §. 13. ff. de O. I. Non enim possunt omnes articuli singillatim aut legibus, aut Sctis, comprehendi; sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet. l. 12. ff. de LL. Et, quotiens lege aliqua unum vel alterum introductum est, bona occasio est cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe Jurisdictione suppleri l. 13. eod. Atque aliter dicentibus omnes juris Justiniani tractatus & partes, quibus Interpretationi rerum casuumque dubiorum obscurorumque regulæ præscribuntur, otiosæ essent. De interpretatione Constitutionum personalium vid. Dn. Præf. d. disp. de Constit. person. §. 22. & seqq. Cætera Interpretationis, quæ titulo dissertationis hujus minus propria sunt, lubens prætereo.

F I N I S.










00 A 6382

ULB Halle

3


002 916 541




Se

WMA







DEO! 24
TIO PARA-
LARIS
DE
TUTIONI-
INCIPUM,
Quam
ESIDE
CO SCHRAGIO,
ofefs, Pandect. &
Can. ord.
rgentoratensium
versitate
ER defendendam
suscepit
ADOLPHUS
HENCK, &c.
M DC LXXXVII.
por. lq. solitis.
NTORATI,
ANDREÆ DOLHOPFF.